VETUS TESTAMENTUM, PENTATEUCH u. LIBRI HISTORIALES

Tirol (?), um 1414 Seite 140r

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=35272
Copyright: Innsbruck, Prämonstratenser-Chorherrenstift Wilten

etiam cumque venisset ad locum
maxille et philistiim vociferantes
occurrissent ei irruit spiritus domini
in eum et sicut solent ad odorem
ignis lingua consumi ita et vin-
cula quibus ligatus erat dissipa-
ta sunt et soluta Inventamque max-
illam id est mandibulam asini
que iacebat arripiens interfe-
cit in ea mille viros et ait In
maxilla asini in mandibula
pulli asinarum delevi eos et percus-
si mille viros Cumque hec canens
conplesset proiecit mandibulam
de manu et vocavit nomen
loci illius ramathlehi quod inter-
pretatur elevatio maxille Siciens-
que valde clamavit ad dominum et ait
Tu dedisti in manu servi tui salu-
tem hanc maximam atque victoriam
et en siti morior incidamque in
manus incircumcisorum Aperuit itaque
dominus molarem dentem in maxilla
asini et egresse sunt ex eo aque
quibus haustis revocavit spiritum
et vires recepit Idcirco appellatum
est nomen loci illius fons invoca-
tis de maxilla usque in presentem diem
Iudicavitque israhel in diebus illis
philistiim viginti annis. C. xvi

Cap xvi

Abiit quoque in gazam et vidit
ibi mulierem meretricem ingres-
susque est ad eam Quod cum audis-
sent philistiim et percrebru-
isset apud eos intrasse urbem sam-
son circumdederunt eum positis in porta
civitatis custodibus et ibi to-
nocte cum silencio prestolantes ut
facto mane exeuntem occiderent Dor-
mivit autem samson usque ad noctis
medium Et inde consurgens apprehendit
ambas porte fores cum postibus
suis et sera inpositasque humeris
portavit ad verticem montis qui re-
spicit hebron Post hec amavit
mulierem que habitabat in valle so-
rech et vocabatur dalida Veneruntque
ad eam principes philistinorum atque
dixerunt Decipe eum et disce ab
illo in quo tantam habeat fortitu-
dinem et quomodo eum valeamus supera-
re et vinctum affligere Quod si feceris
dabimus tibi singuli mille centum ar-
genteos Locuta est ergo dalida ad
samson dic michi obsecro in quo sit
tua maxima fortitudo et quid sit
quo ligatus erumpere nequeas Cui
respondit samson Si septem nervi-
nis funibus necdum siccis et ad-
huc humentibus ligatus fuero
infirmus ero ut ceteri homines Ad-
tuleruntque ad eam satrape philis-
tinorum septem funes ut dixerat
quibus vinxit eum latentibus apud
se insidiis et in cubiculo finem rei
expectantibus clamavitque ad
eum philistiim super te samson
Qui rupit vincla quomodo si rumpat
quis filum stuppe tortum vel
stamineis putamine cum odorem ignis
acceperit et non est cognitum in quo
esset fortitudo eius Dixitque ad eum
dalida Ecce illusisti michi et falsum
locutus es Saltem nunc indica michi
quo ligari debeas Cui ille respondit
Si ligatus fuero novis funibus